

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Sacra Pentecostalia Pie Ac Devote Celebranda Intimat

Fleischer, Christoph

[Leipzig], [1705?]

VD18 1354134X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200611



I CHRISTUS in nobis vivit, etiam SPIRITUM SANCTUM, qui est Spiritus CHRISTI a) æque ac DEI Patris, in nobis esse, vivere, ac habitare necesse est. Unde Apostolus: b) *Vos in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen Spiritus DEI habitat in vobis: si quis autem SPIRITUM CHRISTI non habet, is non est ejus. Si vero CHRISTUS in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.* Hic Spiritus arctissime cum DEI verbo unitus in cor nostrum illabitur modo ineffabili, ac intra nos suam erigit cathedram, nos docet, regenerat, purificat, illuminat, sanctificat, & consolatur. Ut proinde longe rectius Christiani, quam Gentiles olim, dicere possint: *Est DEUS in nobis, sunt & commercia cæli: Sedibus æthereis SPIRITUS ille venit,* c) Illustis Senecæ hanc in rem est locus, d) dignus qui hic legatur: *Non sunt, inquit, ad cælum elevanda manus, nec exorandus Aedituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Prope est apud te DEUS, tecum est, INTUS EST.* Ita dico, SACER INTRA VOS SPIRITUS sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos: hic, prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus VIR SINE DEO nemo est &c. In unoquoque Virorum Bonorum HABITAT DEUS. Quisquis igitur inhabitationem Spiritus DEI in cordibus fidelium in-

A 2

ficia-

a) 1. Pet. I, 11. Phil. I, 19. Conf. Esa. XI, 4. Gal. IV, 6. b) Rom. IIX, 9. 10.
 c) apud Ovidium Lib. III. de Arte v. 549. d) Epistol. XLI. Tom. II. Opp.
 f. 141. 142. edit. Amstelod. 1672.

ficiatur & hæreseos macula conspergit, non modo Gentili deterior esse videtur, sed & totam pervertit Scripturam. Verbum enim Θεόπνευστον & Spiritus S. non extra sed intra nos operatur. Isti sunt vere Θεοδιδάκτοι, in quibus suam virtutem exerit DEI Spiritus, juxta Vaticinium Esaia: *) *Omnes filii tui edocti erunt a Jehovah*, non, uti nonnulli hodie Viros pios criminantur, modo Enthusiastico ac immediato, sed per media divinitus ordinata. Nam ubi cœlestis ille Doctor non docet interius, nulla prodest doctrina exterior. Siquidem *nec is, qui plantat, est aliquid, nec qui rigat: Sed, qui dat vim crescendi, DEUS.* **) Hanc sedem, sive habitaculum ἱσθός, nempe corda fidelium, (non infidelium, sive Gentilium) sibi a Christo assignatum SPIRITUS SANCTUS admirabili virtute occupans, superato expulsoque Spiritu maligno, cum vetustate carnis corruptæ, solus ibi regnum, quantum in se est, constanter tenet, neque unquam domicilium hoc suum, quod veluti templum inhabitat, e) plane relinquit, juxta illud Christi: f) *Ego vero rogabo Patrem, & alium Advocatum dabit vobis, ut MANEAT VOBISCUM IN ÆTERNUM.* Nempe Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum: Vos autem nostis eum, quia apud vos MANET, ac in vobis ERIT. Non solis Apostolis factam esse hanc promissionem: neque de eo duntaxat Spiritus S. effectu agere, quo in prædicatione Evangelii constituebantur infallibiles; sed omnes fideles concernere, ex circumstantiis textus innotescit. Nam primo proponitur illa, ut *fructus adscensionis Domini in cœlum, & intercessionis Sacerdotalis:* g) quarum rerum utilitas ad omnes fideles redundat. Deinde non agitur de Spiritu, ut *auctore infallibilitatis in docendo*, quod in Apostolis, & paucis, præter eos, Evangelistis erat; sed ut *Paraclete & consolatore:* h) quod in omnibus fidelibus est. Denique ii, quibus Spiritus promittitur, non opponuntur reliquis fidelibus, ut *Doctores plebi;* sed *mundo impiorum*, qui Spiritum nec conspicit nec novit, & propterea etiam

*) Es. LIV, 13. **) 1. Cor. III, 7.

e) 1. Cor. III, 16. 17. VI, 19. f) Job. XIV, 16. 17. g) 1. 1-6. ii 1. 13. 14. h) 1. 16. & 26.

etiam recipere non potest. i) Neque existimandum est, hanc continuam Spiritus S. *immanfionem* ita promissam esse universæ Ecclesiæ, ut non singula ejus membra eam sibi arrogare valeant. Nam singulos discipulorum suorum hisce verbis consolatur Dominus, quibus, cum solliciti essent de ipsius discessu, talem Spiritus præsentiam pollicetur, qua nemo eorum, modo in ordine salutis persistat, ullo unquam tempore destituatur. Quamdiu autem *Spiritus Christi* in quoquam habitat, tamdiu illum *Christi*, neque Diaboli esse posse, in se est evidentissimum. Fatemur sane Spiritum S. male habitum & *tristitia affectum* a fidelibus, k) secedere non raro quoad influxum consolationum suarum, & concessionem alacritatis in vita spirituali; remanet tamen ut *fons aque salientis in vitam æternam*, l) & vinculum unionis ipsorum cum Christo. Est enim *Spiritus vite*, m) nempe *spiritualis*, quæ in Dei Patris & Christi gratia & veritate cognoscenda, amanda, reverenda, nec non in lætitia, quæ inde oritur, consistit: n) ac *æterna* dicitur, quia inchoata in hoc seculo continuatur per continuum influxum Spiritus, & consummatur in futuro seculo. Idem ille Spiritus, perennis istius vitæ auctor & scaturigo, vocatur *Spiritus adoptionis*, ea in fidelibus & electis operans, quæ filiis Dei, Deum diligentibus, & a Deo dilectis consentanea & digna sunt: cui opponitur *Spiritus servitutis*. Non, inquit Apostolus, o) *accepistis, SPIRITUM SERVITUTIS iterum in timore, sed accepistis SPIRITUM ADOPTIONIS filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. Differt hic Spiritus *ὁδοθεσίας* ab altero *ἀδελφίας* in eo, quod *Spiritus Servitutis* Deum ex lege repræsentat, ut severum Dominum ac terribilem judicem: quo fit, ut ii, qui isthuc Spiritu ducuntur, in quantum ex eo agunt, non nisi cum quodam trepidantis animi horrore iussu heri sui exequantur. *Spiritus autem adoptionis* Deum animæ fidei ostentat, ut blandissimum ac indulgentissimum Patrem, eamque de caritate Dei certiores faciens, & spem futuræ hæreditatis suaviter fovens efficit, ut cum

A 3 alacri-

i) 1. 17. & 19. k) Eph. IV, 30. l) Job. IV, 14. m) Rom. IIX, 3. n) Job. III.
o) Rom. IIX, 15.

alacritate & generosis pietatis filialis motionibus Deo, ut dilecto Patri, lubens obediat. Operationes hujus Spiritus vel *absolute* spectari possunt, vel *relate* ad distinctas seculorum œconomias. Quæ in filiis Dei indiscriminatim operatur *Spiritus adoptionis*, hæc sunt præcipua: *Persuasio* nempe de *summa caritate* adoptantis: *Obedientia amoris*, componens se ad mores nutumque nobi in Christo parentis: *Expectatio hereditatis*. Cum enim Deus jam inde a protoplastorum primo peccato gratiosum in filio suo unigenito fœdus proposuerit, cujus summa, veterum catechesi, omni ævo tradita fuit, ad *Spiritus adoptionis* officia pertinebat, mentem fidelium ad cognitionem, meditationem, apprehensionem salvi- ficæ illius gratiæ excitare & manu quasi ducere; ea quæ externe proponebantur in V. T. per traditionem oraculorum, quæ Patri- archis & Prophetis facta erant, animo intimare, atque ita *gustum quendam Divini amoris*, parcius primum, mox uberius, præbe- re. Hoc modo horror ille pellitur, quem legis tonitrua & con- scientia peccatorum, & justus vindictæ Divinæ metus animo in- generarunt. Dum hoc facit *Spiritus Sanctus*, una eademque opera corda fidelium Dei mutua redamatione accendit, qua fit, ut non amplius metu pœnæ, sed puro Dei amore, ac liberali er- ga carissimum hunc Patrem pietate, sponte & alacriter, ut inge- nuos filios decet, *dicto se audientes* præbeant, cum abnegatione propriæ cupiditatis, & enixo studio nihil committendi, quod glo- rioso isto statu indignum sit. Interim quoque ostentat Spiritus *promissam hereditatem*, in cujus expectatione per verbum & Sa- cramenta eos confirmat, facitque ut eam spe præconcipiant, imo extollit eos quandoque in altum, ut remoto sipario, subductis- que cortinis, visenda quodammodo bona illa exhibeat, quæ ma- nent eos in cœlesti patria, sic ut lati exsultantesque *glorientur in spe gloriæ DEI*. p) Cuncta illa, quoad gradus tamen terminosque, pro temporum ratione, sapienter sic statuente DEO, in priscis etiam fi- delibus, ante regnum Messiae fuisse, certum est. *Exsultavit ani- ma ipsorum in Domino*. q) *Delicati sunt in fide, spe, ac sensu, sive gustu di-*

p) Rom. V, 2. q) Psal. IV, 8.

divini amoris. r) Ipsi etiam amabant DEUM, ut Patrem suum, s) & ex amore ei obediebant, t) cum lubentia & lætitia in præceptis ejus ambulantes: u) consolabantur se in adversis expectatione non fallaci beate hereditatis, x) quam licet e longinquo, contemplandam tamen, & in suis initiis prægustandam iis dabat Deus. y) Quæ omnia cum adoptionem consequantur, Adoptionis Spiritus nequaquam ita peculiare novi Testam. Bonum, statuendus est, ut cum veteri Testam. prorsus derogemus, ipso Paulo disertim docente, eundem Spiritum fidei, per quem nos loquimur, in Patribus quoque fuisse. aa) Neque tamen negandum est operationes illas Spiritus hujus filiationis fuisse rariores olim & parciores multo, quam postea, plurimoque terrore mistas. Vigebat tunc Oeconomia legalis. Fœdus gratiæ uti obscurius, sub involucris typorum, proponebatur, ita etiam conscientia tanta claritate demonstrationis non intimabatur: interea quoque exigebatur Chirographum, bb) quotidiano victimarum sanguine, quasi totidem subscriptionibus, renovandum: accendebatur meliorum promissionum sitis nondum tamen sedanda. Quibus rebus operationes illæ ingenuæ Spiritus adoptionis ita obfuscabantur in plerisque, ut comparatione facta ad latam N. T. ubertatem, Spiritus S. sub Veteri ne quidem exstitisse dicatur. cc) Quod non tam restrictè intelligimus, ut sola illa extraordinaria Spiritus S. dona, die Pentecostes in Apostolos effusa, hic delignari existimemus. Promittitur enim aliquid, quod omnibus in Christum credentibus commune est, nec ante glorificationem CHRISTI fuisse dicitur. Quid autem illud est? Plena & illustris Spiritus Sancti exhibitio, quam CHRISTUS ad solennem regni sui possessionem distulit, quæque in donis istis visibilibus, tanquam in speculis apparuit, nec non ad gratiosos, eosque uberiores atque pleniores Spiritus adoptionis fructus est extendenda. Huc etiam referri debet, quod Johannes Baptista de Christo dixit: dd) Eum baptizaturum esse

r) Psal. XXXI, 8. XXXVI, 8. 9. 10. s) Psal. LIII, 2. t) Psal. LXIX, 10. u) Psal. XIX, 9. 11. CXIX, 14. 16. x) Psal. XVII, 15. y) Psal. XXXI, 20. aa) 2. Cor. IV, 13. bb) Col. II, 14. cc) Joh. VII, 39. dd) Matih. III, 11.

esse (filios Abraham, ceu Patris credentium) *Spiritu S. & igni*. Cum enim non Apostolis hæc dicat Baptista, sed confluentibus ad ipsum Judæis, non videtur duntaxat notari miraculosa illa donorum Spiritus S. in Apostolos effusio, quam ipse quoque Dominus *Baptismum* vocat; ee) Sed & *sanctificans illa gratia Spiritus S.* habentis & exferentis vim igneam in cordibus fidelium, penetrando, illuminando, accendendo, purgando, heterogenea ab homogeneis separando, elevando, & objectum accensum suo igne in se transformando. Hæc uti promissa, ff) ita etiam impleta sunt sub Novo Test. Clariorem quippe intelligentiam fœderis gratiæ, majorem amoris Divini sensum, latiore regni Dei libertatem, *παρρησίαν* confidentiorem, consolationes uberiores, firmiorem *πεπολθῆσιν*, sanctitatem magis spirituales, & quis omnia fando enumeret? tunc operatus est Spiritus Dei. Huic duo porissimum effecta tribuit Apostolus. gg) Prius est, quod *faciat clamare Abba Pater*; Posterius, quod *una cum Spiritu nostro testificetur, nos esse filios Dei*. In hisce medulla interioris Christianismi est recondita. Ubicunque enim Spiritus Sanctus est, ibi ociosus non est: ibi *cor ebullit sermonem bonum*. hh) Spiritus hic mysticum illud mustum est, ii) quod facundos reddidit Apostolos, ut variis lingvis enunciarent non res usitatas aut humanas, sed sublimia, sed magnifica & Deo digna opera: efficitque adhuc, ut *loquantur labia dormientium*: kk) nec loquantur tantum musitantes, aut vix audentes, quod mente conceperunt, profari, sed clara voce confidenter proclamant, *Αββὰ ὁ πατήρ*. Prior vox cum Hebraica origine, posterior Græca sit, quid aliud innuere potest, quam a *cujuscunque gentis fidelibus*, quacunque lingua, Spiritu hoc suggerente, DEUM nunc Patrem vocari ex illa *παρρησία*, qua *accedere ad thronum gratiæ* jubemur? ll) nisi malimus dicere, geminationem hanc *blandæ & familiaris appellationis indicium esse*: quæ tamen non consistat in nudis verbis, quasi labiis solum Deo blandiremur; sed adoptionis veritatem supponens innuat, fidem illi-

us

ee) *Act. I, 3.* ff) *Esa. XLIV, 3.* *Joel. II, 28. 29.* *Zach. XII, 10.* gg) *Rom. IIX, 15. 16.* hh) *Pf. XLV, 2.* ii) *Act. II, 13.* *coll. 9. 4. 11.* kk) *Cant. IIX, 9.* ll) *Hebr. IV, 16.*

us, & πληροφραν in corde, qua petimus a Deo & expectamus, quæ filios a benignissimo Patre expectare par est: simulque nos obliget ad obedientiam, ad reverentiam, ad honorem & amorem tanto Patre dignum. Alterum Spiritus in nobis habitantis effectum Apostolus in eo constituit, ut attestetur, *unacum Spiritu nostro, nos esse Filios DEI*. Bini hic nobis testes sistuntur, in unum testimonium conspirantes. Primus inferioris ordinis est *Spiritus Noster*; supremi secundus, SPIRITUS ADOPTIONIS, qui Filii DEI unigeniti Spiritus esse dicitur. Per *Spiritum nostrum* intelligitur cujusque fidelis animus & conscientia, per quam fit, ut homo earum sibi rerum, quæ intus in corde suo geruntur, conscius evadat. *mm)* Hujus ergo Spiritus testimonium non potest esse aliud, quam exacta status nostri beati representatio, quam πληροφρα fidei sequitur, & tranquillitas animi securissima, & gaudium inenarrabile. Ut autem hoc testimonium de tanti momenti negotio solidum sit, cum, & Scriptura & Experientia magistra, filii Dei norint, fraudulentum esse cor nostrum; *nn)* ad duo præprimis hic, ceu monent exercitationes Theologi, *oo)* attendere tenemur. Primo necesse est, ut Spiritus & conscientia nostra, ex verbo Dei, motuum cordis interiorum certissima cynosura, accurate informata sit de signis atque notis, unde, quis filius Dei sit, dignoscere possimus. Tum accedere debet diligentissimum nostri scrutinium, an ea, quæ Deus filiorum suorum characteres in scriptura proposuit, in nobis quoque reperiantur. Cujusmodi criteria sive γνωρίσματα sunt Animæ regeneratæ atque sanctificatæ boni quidam *Habitus*, nempe *Expressio Divina Imaginis*, & sanctæ cum DEO Patre, ac primogenito Fratre nostro *CHRISTO JESU Conformitas*: *pp)* Nova, DEOque & *CHRISTO digna Vita*: *qq)* Verus ac sincerus *DEI & CHRISTI Amor*: *rr)* Reverentia & Obedientia erga utrumque filialis: *ss)* Φιλία.

B

mm) 1. Cor. II, 11. Conf. 1. Joh. III, 20. 21. Rom. II, 15. *nn)* Proß. XXIIX, 26.
oo) Hic instar omnium videri potest B. Henr. Höpffnerus Tract. Pract. de salutari canæ usu, Sect. I. Art. II. Cap. I. Aph. X. XI. XII. XIII. XIV. f. 165-169.
pp) Eph. IV, 24. 1. Joh. III, 2. *qq)* Col. III, 3. Gal. II, 20. *rr)* 1. Joh. IV, 19.
ss) Mat. I, 6. 1. Pet. I, 17.

de λφία minime fucata. ii) Sed præter ea sunt adhuc aliqui speciales divini Amoris *Actus*, quæ DEUS eos solos dignatur, quos specialiore prosequitur amore. iii) Huc pertinet, quod istos Spiritu nonnunquam suo velut in sublime raptos lucis supercœlestis splendore circumfundat, faciem suam candidissima caritate, coruscantem visendam præbeat, osculetur oris sui osculo, ad amabilissimam mystici secum amoris reciprocationem admittat, & abunde effundens caritatem suam in corda ipsorum, potet ipsos voluptatis ineffabilis rivis torrentibus, idque sæpe in maxima æstuantis & nihil tale sibi pollicentis animæ ariditate: & quæ plura arcani hujus cum cœlesti Patre nostro commercii secreta sunt, quæ vident, gustant, sentiunt aliquando fideles: xx) sed quæ nullus Scholastici exercitii stilus, uti merentur, exponat. Licet vero hæc non omnibus Dei Filiis, neque semper, imo ne frequenter quidem, contingant, ii tamen, quibus unquam contigerunt, certo certius Filii Dei existunt. Hic Spiritum nostrum accuratum sui scrutinium instituere oportet, ac omnia sollicitè explorare, nec non attendere, an, quæ gnorismata filiorum Dei in S. Litteris assignantur, in nobis comperiantur: numque acciderit aliquando, ut in precibus, aliisve devotionis exercitiis singularem benignissimi Numinis favorem, excitantem, inflammantem, consolantem, cœlum versus torpentia cæteroquin corda nostra evehentem experti simus. Quod ubi evidentibus indiciis compertum habet *Spiritus noster*, tum fidenter testatur, nos filios Dei esse. Cum vero dolosum sit cor nostrum, yy) tunc demum plane adquiescunt filii Dei, quando ad testimonium proprii Spiritus, accedit internum SPIRITUS SANCTI testimonium, qui est *Spiritus DEI & CHRISTI*. Cujus ratio in eo consistit, quod primo Spiritus ille facit, ut sancti *Habitus* isti, quos filiorum Dei, alias multa sæpe caligine involutos, characteres esse diximus, luculenter in ipsorum anima exsplendescant, mentisque, seipsam scrutantis, contemplationi quasi sua sponte se obijciant. Tum etiam *Spiritum nostrum*, cæteroquin langventem, ad

ii) 1. Job. IV, 20. iii) Psal. LXXIII, 1. xx) Heb. VI, 4. 5. yy) Prov. XXIX, 26.

ad diligentem eorum, quæ animæ nostræ insunt, & ab ea & in ea geruntur, observationem excitat, ac mentis oculos supercœlesti luce irradiat, ne per speciosa magis, quam solida fallamur, nec ea prætervideamus, ex quorum animadversione nostra pender consolatio. Accedit insuper instinctus quidam internus, nulloque humano sermone explicandus, immediate adoptionis suæ dilectos Dei filios certiores reddens, non minus, quam si *interitum subverti cœlum*, ex ipsius Dei ore id accepissent. 22) Denique generosos in fidelibus excitat motus, ac eos tam jucundis, tam blandis, omnemque adeo mentem superantibus consolationibus demulcet, ut non possint eas aliter, quam totidem adoptionis suæ testimonia considerare. In hoc testimonio Spiritus Dei tanta claritas, tanta majestas, & efficacia tanta, ut ima & intima cordis virtute ineffabili penetret, & facili negotio ab iis, qui ejus voci asseverunt, ab aliis omnibus discriminetur. *Mundus* equidem *hunc Spiritum recipere nequit, non enim vidit eum, nec novit eum*; α) sed *ovēs Christi norunt vocem Pastoris sui*, β) & Spiritus ejus, tam candida luce mentes fidelium perfundentis, ut facile eum a Spiritu tenebrarum distingvant. Sed uti hæc nonnisi per experientiæ vivum gustum disci nequeunt; ita non solet Consolator ille Christi Spiritus jucundo hoc Evangelii fideles sensu recreare, nisi corda prius ingenua peccatorum agnitione ac profundo miseriæ sensu contrita sint. γ) Idem Spiritus, qui Consolator, eodem quoque actu est Sanctificator, suavissimo suo solatio corda fidelium simul inflammans amore Dei, & ad intensum sinceræ pietatis studium excitans. Quando enim anima de immensa Dei erga se caritate, ipso Spiritu S. auctore, certior fit, exardescit redamatione mutua, inque gratiarum actiones erumpit effusissimas. Id quod indubium Spiritus S. nos inhabitantis indicium est. Neque enim hoc, sed alia omnia fallacibus suis blanditiis Spiritus carnis & inferorum intendit.

Uti vero has operationes suas etiamnum hodie in cordibus fidelium modo invisibili SPIRITUS DEI perficit; ita olim visibiliter, ut pro persona divina, a PATRE ac FILIO missa, agnoscere-

22) 1. Cor. XII, 4. II. Pet. I, 17. α) Joh. XIV, 17. β) Joh. X, 4. γ) Es. LXI, 1-3.

sceretur, die Pentecostali sub duplici signo apparuit. Omnibus enim Apostolis in unum, eumque sublimem urbem Hierosolymam locum, simul collectis, ecce subito e caelis venit *Sonitus*, quasi venti magno impetu sese ferentis, ac replevit totum coenaculum, ubi sedentes placidi quietique concorditer credebant, orabant, expectabant. Flatus hic non ex terrae cavernis, sed inde veniebat, quo profectus fuerat CHRISTUS, vitam aeternam inspirans animis, robur & alacritatem addens infirmis ac pusillis. Hic *Sonitus* neminem terruit, sed omnium animos expergefecit ad expectationem promissi Spiritus. Datum est hoc signum *auribus*, datum est alterum *oculis*. Sunt enim hi duo sensus in homine praecipui. Apparuerunt *linguae*, velut, ignea specie in singulos sese Discipulos dispertientes, atque uniuscujusque capiti aliquamdiu insidentes. Idem Spiritus afflavit omnium animos: idem ignis accendit omnium pectus & linguam. Nec mora, *visibile signum* vis doni coelestis est consecuta. Omnes, quotquot aderant, veluti subito transmutati in coelestes Homines, ac repleti *Spiritu Sancto*, caperunt loqui diversis lingvis, non quas didicerunt ex hominum colloquiis, sed quas coelitus illis indiderat Spiritus. De hac admiranda Spiritus S. Operatione super Apostolos in die Pentecostali, crastina luce, DEO dante, hora consveta, in Templo Academico, verba facturus est Eximius atque Doctissimus Juvenis DN. M. DANIEL FRIDERICUS JANUS, *Schmidebergensis Saxo*, Theologiae Cultor indefessus. Ad hunc igitur pie ac devote audiendum, ut loco ac tempore jam dicto, nobis juncti UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES, nec non *Cives nostri reliqui*, STUDIOSI JUVENES lectissimi nobilissimique, convenire haut dedignentur, ea, qua par est, observantia & humanitate rogamus. Spiritum vero adoptionis calidissimis invocamus suspiriis, ut hoc Festivali praepremis, imo omni tempore, nobis ipse declaret, quam eximio ac immerito fideles honore DEUS in CHRISTO decoraverit, ut Filiorum loco haberet: DEIque vicissim amorem in cor nostrum effundat, ut & benignissimum hunc PATREM Nostrum in CHRISTO JESU omnibus viribus amemus, colamus, observemus! P.P. ipsis Vigiliis Pentecostalibus, III. Calend. Junii, Anno cIo Io ccv.

Typis FLEISCHERIANIS.